Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-243224257-13

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-243224257-13

1779, 4

23

# DECANVS
ORDINIS ICTORVM IN PERANTIQVA ELECTORALI ACADEMIA ERFVRTENSI,

# D. RVD. CHRIST. HENNE, JCTVS,

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS REGIMINIS, PRAEDICTI ORDINIS ET IVDICII PROVINCIALIS ADSESSOR, NEC NON CODICIS ET IVRIS FEVDALIS ANTECESSOR ORDINARIVS,

## SOLEMNIA INAVGVRALIA
NOBILISSIMI AC CLARISSIMI IVRIVM CANDIDATI

Dn. CAROLI EMANVELIS BADER,
ERFVRTENSIS,

D. XXVII. MAII MDCCLXXIX.

IN AVDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI PERAGENDA,

INDICIT,

SIMVLQVE NONNVLLA DE LOCATIONE CONDVCTIONE PRAEDIORVM DOTALIVM RAEMITTIT.

---

ERFORDIÆ,
STANNO HENRICI RVDOLPHI NONNII,
AC. A TYP.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-243224257-13

## §. I.

Doctrinam de dote ejusque ſingularibus juribus, ICtis ſæpe crucem fixiſſe, ac multas lites peperiſſe, iis, qui in foro verſantur, ſatis ſuperque notum eſt, hinc nemo mihi vitio vertet, ſi occaſione Diſſertationis inauguralis clariſſimi Candidati noſtri, aliquot quæſtiones in hunc cenſum venientes, ſub incudem revocem, illarumque diſcuſſionem ſuſcipiam.

## §. II.

Maritum ſtante matrimonio rem dotalem locare poſſe extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, utrum vero ſoluto matrimonio uxor obligata ſit, ut nondum finito contractu a marito cum conductore inito, ſtare debeat locationi conductioni, eamque continuare, interpretes fere omnes negant, ac ad expreſſas leges deſuper latas provocant a), utut autem in illis res nondum clare & determinate deciſa ſit, analogia juris tamen huic ſententiæ admodum patrocinatur, præſertim ſi titulo ſingulari marito ſuccedat, in alia omnia autem tunc eundem erit, quando titulo univerſali ſuccedit, ac ſola defuncti mariti bona adipiſcatur, tunc enim ipſius factum præſtare debet, ex quo prono fluit alveo, ipſam etiam locatiorem conductionem ab illo initam, continuare debere.

a) l. 25. §. ult. ff. ſolut. matrimonio.

## §. III.

Quodſi vero unacum uxore plures mariti hæredes concurrant, illa ad continuandum contractum nullo tenetur jure, ſed ſolummodo ad indemnem ſervandum conductorem pro partis hæreditariæ rata concurrit, eodem modo, uti res ſe habet in feudis & fideicommiſſis, ad quorum naturam tali exiſtente caſu ubique reſpiciendum, & juxta illorum jura judicandum. a)

a) Oeconomia forenſis parte 5. §. 71.

## §. VI.

Conductorem, uxore ante finitum tempus prædium dotale revocante a defuncti mariti hæredibus indemnem ſervandum eſſe,

extra

extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, ſi autem maritus qualitatem dotalem fundi ſciens tacuerit, ipſa æquitas poſtulat, ut conductori a mariti hæredibus indemnitas præſtetur, cum nemini ex dolo ſuo lucrum enaſci debeat.

## §. V.

Quare, evitandarum litium cauſa cautelæ loco conductori ſuadendum, ut eo allaboret, quo uxor conſentiat in contractum locationis conductionis, ac conſenſum ſubſcribendo manifeſtet, hoc facto non metuendum eſt conductori, ut ante finitum tempus expellatur, ac mariti hæredes ratione indemnitatis præſtandæ ſecuri præſtantur.

a) Oeconomia forenſis parte 5. §. 72.

## §. VI.

Pariter in caſu inverſo, ſi mulier fundum dotalem locaverit, eumque poſtea in dotem dederit, nec maritum hac locatione per uxorem ante dotis conſtitutionem facta teneri BERLICHIVS a) & CARPZOVIVS b) ſtatuunt, ſed cum hac ſententia nulla expreſſa nitatur lege, neque æquitati & analogiæ juris conſentanea ſit, & mulier marito ante nuptias locatum fundum inferens plenum illius habeat dominium, nulla adparet ratio, quare maritus majus conſequi debeat iis, quam inferens uxor, poſt locationem habuit, cum conſtet maritum ſolummodo dominum temperarium omnium eſſe ab uxore illatorum bonorum, & conductorem tali in caſu regreſſum contra ipſam habere uxorem.

a) parte 2. conſt. 37. def. 2. n. 9.
b) parte 2. concl. 47. n. 14.

## §. VII.

Conductor ipſe cum femina cœlibe contractum locatioris conductionis celebrans, hac de re vix ac ne vix quidem cautelis quibusdam ſibi ſecuritatem conciliare poteſt, dum neſcit, utrum locatrix ad celebrandas nuptias & ad inferendum futuro marito prædium proclivis ſit, nec ne. Rebus igitur ſic ſtantibus, quando ſupra allegatorum interpretum opinio ſibi locum vindicaret, locatrix ad conductorem indemnem ſervandum, omnino obligata foret.

Plura hac de re in medium proferet, ille qui mihi hæc commentandi anſam præbuit, nimirum

*Nobiliſſimus ac Clariſſimus*
*Dn.* CAROLVS EMANVEL BADER,
*Jurium Candidatus præſtantiſſimus,*

qui ea, quæ de rebus ad ſe ipſum ſpectantibus ſcire intereſt, ſequentibus nobis patefecit verbis:

*Ego Carolus Emanuel Bader natus ſum Erfordiæ anno MDCCLVII, die XVII. ante Calendas Novembris. Optimos Parentes, Patrem EMANVEL BADER, Juris utriusque Doctorem & Ordinis Senatorii membrum, & matrem CHRISTINAM JACOBINAM, natam BRUCKNERIN, habui, quos autem vix cognovi, quum, me nondum ex ephebis exceſſo, jamjam deceſſerint, quorum memoriam ſemper pia mente venerbor. Parentibus itaque orbatus Illuſt. Dn. STENGER, Juris utriusque Doctor & Judicii provincialis Civilis ac Criminalis Electoralis, quod Erfordiæ eſt, Aſſeſſor & Civitatis Conſul meritiſſimus, tutelam ex voluntate Patris in ſe ſuſcepit, qua de re publicas ei gratias ago, & adprecor, ut omnia ei proſpere ac feliciter ſemper ſuccedant. Ejus omnis cura vero*

*ro in eo verſata eſt, ut omnibus bonis ac utilibus ſcientiis imbuerer, quem in finem non ſolum optimos privatos præceptores, mihi maxime colendos, habui, ſed etiam publicas lectiones in ſchola Prædicatorum, ibique primis fundamentis poſitis, in Gymnaſio Senatorio, Directore Celeberrimo Dm. RVMPEL, frequentavi. Ex hoc dimiſſus, curſum academicum ſic inſtitui, ut Philoſophiam apud Celeberrimum Dm. Profeſſ. LOSSIVM, quem etiam tanquam privatum Præceptorem veneror, & cujus favor ſemper tantus erga me exſtitit, ut cum voto ſempiternæ ſalutis gratiſſima mente in poſterum etiam illum agnoſcam, tractaverim. Duobus annis in Hierana noſtra peractis, Jenam petii, ubi a Magnifico, Celeberrimo Dom. DANOV, faſces academicos eo tempore tenente, in numerum ſtudioſorum receptus ſum, ibipue animum ad ſtudium Juris appuli, quem in finem per triennium, quod ibi commoratus ſum, ſcholis frequentiſſimis, Virorum Illuſt. Doctiſſim. ac Celeberr. HELLFELD, REICHARDT, WALCH, ERDMAN & LVDEWIG SCHMIDT, DE SCHELLWIZ & SCHEIDEMANTEL, in omni jurisprudentiæ parte, interfui.*

Omnibus hisce rite peractis Noſter domum reverſus, tradita præcepta ulterius privato excoluit ſtudio, nihilque illorum intermiſit, quæ ſtrenuum Jurium cultori tam ad ornamentum quam ad rectam legum notitiam acquirendam, conducunt. Proinde ſtudiorum fiducia fretus, literis conſuetis ordinem noſtrum, ut ſolitis illum a jurium Candidatis ſubeundis ſpeciminibus ſubjiciamus, ea qua decet modeſtia petiit, admiſſus, in reſolvendis textibus & reſponſionibus ad quæſtiones propoſitas in rigoroſo quod vocant examine datis, deſiderio & exſpectationi noſtræ ita ſatisfecit, ut nulli dubitaverimus, quin ad publica etiam ſpecimina iisque editis ad ſummos utriusque juris honores cum laude admitti poſſit.

poſſit. Quem in finem futuro die Jovis d. 27. Maji a. c. hora IX. matutina ad l. 2. ff. de fundo dotali lectionem habebit curſoriam, eaque abſoluta Diſſertationem ſuam inauguralem

DE

## JVRE MARITI CIRCA ALIENATIONEM DOTIS

me Præſide eruditorum ſubjiciet diſquiſitioni. Quo vero hi actus reddantur ſolenniores, ut iis nuper electus & inauguratus admodum reverendus & eximius Academiæ Magnificus Rector, nec non ſingularum Facultatum ſpectabiliſſimi Decani, Venerandi Seniores & reliqui Academiæ Proceres cum civium corona intereſſe & debitum illis ſplendorem conciliare velint, enixe meo & ordinis mei nomine rogantur & invitantur. Publ. ſub Sigillo Facultatis Juridicæ Feria I. Pentecoſt. MDCCLXXIX.

(L. S.)

X 2310747

ULB Halle 3
007 469 942

V1018

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-243224257-13

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-243224257-13

1779, 4 23

CANVS

PERANTIQVA ELECTORALI

A ERFVRTENSI,

# . CHRIST.

# NE, JCTVS,

MI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTI-
, PRAEDICTI ORDINIS ET IVDICII
R, NEC NON CODICIS ET IVRIS
ECESSOR ORDINARIVS,

# INAVGVRALIA

CLARISSIMI IVRIVM
NDIDATI

MANVELIS BADER,

VRTENSIS,

MAII MDCCLXXIX.

ICO COLLEGII ANSELMINI
AGENDA,

NDICIT,

ATIONE CONDVCTIONE PRAEDIORVM
M RAEMITTIT.

---

TORDIÆ,
CI RVDOLPHI NONNII,
. A TYP.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-243224257-13